



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Usura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

ducat, semper peccat contra reverentiam Sacramento debitam, nam semper facit illud irritum. 1. Quia contrahit cum impedimento dirimente. 2. Quia simulat Sacramentum, nec potest ex metu quantumvis gravi excusari. 3. peccat peccato mendacii & deceptionis, si respondeat, se accipere Bertam in suam, animum enim contrahendi non habeat. Remedium itaque erit, ut ad S. Pœnitentiariam pro dispensatione super impedimento recurat, vel de eo conferat cum Episcopo, ut provideat, quæ sane est melior responsio pro praxi; quam allata à quodam recentiore putante, posse simulare matrimonium, ut contractus est, non verò ut Sacramentum, quæ quidem distinctio à Viro Catholico sustineri non potest.

U S U R A.

§41. **Q**Uæritur. An Mutuator possit excusari a crimine usuræ, si in mutuo aliquid supra sortem exigat; ob maiorem æstimationem, quam facit, pecuniæ præsentis; quàm futuræ?

Resp. Non posse excusari, ut constat ex propos. 41. inter damnatas ab Innoc. XI. Etenim quamvis in ordine ad alios contractus possit dici pecunia numerata esse pretiosior numeranda, in ordine tamen ad contractum mutui id non potest habere locum, nam in terminis mutuacionis, & in ordine ad illam non consideratur utilitas, quam potest habere mutuator, si non mutuet, & quæ possit reddere pretiosorem pecuniam præsentem, quàm futuram; tum quia si habenda esset in scrinio, non esset mutuatori utilior pecunia præsens, quàm futura, & si
ei

ei profutura esset ad lucrum, jam egredimur terminos contractus mutuacionis, & ingredimur viam alterius contractus, quo se obligat mutuator ad subeundum damnum emergens, qui novus contractus est pretio estimabilis; neque potest dici pretiosior pecunia praesens ex necessitate mutuatarium, quia si mutuator habiturus esset pecuniam in scrinio, ex sola necessitate mutuatarium non esset praecise utilior, aut pretiosior mutuatori.

542. Quæritur. An licitum sit mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus?

Resp. Negativè, juxta decretum Alexandri VII. damnantis pro. 42. & ratio est, quia ex hoc aperiretur immensum ostium usuris palliatis, quilibet enim mutuans dicere posset, quod per diem, vel per hebdomadam mutuet gratis, deinde aliquid supra sortem velit pro obligatione non repetendi sortem per annum, aut per aliud tempus.

543. Quæritur. An si mutuans prævideat periculum proximum amittendi sortem, possit à mutuatario aliquid exigere pro hoc periculo, cui se exponit?

Resp. Possè citra usuram in hoc casu aliquid supra sortem accipere, non quidem pro obligatione non repetendi mutuum intra certum tempus, sed pro damno probabiliter emersuro, aut pro lucro probabiliter cessaturo intra illud tempus, quo mutuans in gratiam mutuatarium privat se pecunia sua: duo tamen sunt à mutuante præstanda, primum est, quod moneat mutuatarium de hoc damno probabiliter emersuro, ut possit ille aliter sibi consulere, accipiendo pecuniam ab alio, cui fortè damnum nullum
emer-

emergeret, & sic à solvendo gravamine liberetur; alterum est, quod non obliget illum ad solvendum lucrum ad mensuram æstimationis ejus periculi; mutuans enim solum habet jus, ut servetur indemnis, nam fraliam obligationem mutuatario imponat, ab usura non poterit excusari.

544. Quæritur. An committatur usura, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam debitum ex benevolentia, & gratitudine, & non tanquam debitum ex justitia?

Resp. Quod pars negativa repugnat decreto Innoc. XI. damnantis propof. 42. ratio est, quia quoties immediatè ex mutuo provenit aliquod lucrum mutuanti, & aliquod gravamen mutuatario, quod sit extra rationem mutui, usura proculdubio committitur, atqui si mutuatarius teneatur præter sortem dare v. g. quinque pro singulis centenariis, ita ut possint ea à mutuante exigi tanquam debita, etiam si ex gratitudine, & benevolentia, immediatè provenit ex mutuo hoc lucrum mutuanti, & hoc gravamen mutuatario, ergo si aliquid exigatur ultra sortem tanquam debitum ex benevolentia, aut gratitudine, committitur usura.

545. Quæritur. An mutuans committat Usuram, si aliquid supra sortem speret à mutuatario?

Resp. Negativè, si secluso omni pacto aliquid speret, & exigat ex mera gratia mutuarii: ratio est quia Innocentius solum damnavit opinionem docentem, non esse Usuram exigere ex mutuo aliquid supra sortem, tanquam debitum ex benevolentia, aut gratitudine, quod est valde diversum à casu nostro.

546. Quæ-

546. Quæritur. An mutuans ad restitutionem lucri teneatur, si mutuatarius illud solvit tanquam debitum, ipse verò accipit tanquam sibi ex gratitudine donatum?

Resp. Mutuantem ad restitutionem tene-ri nisi bona fides excuset, quia datio illa mutuatarii, utpotè involuntaria insuf-iciens est ad trāsferendum dominium, cum desit animus donandi; immò si mutuans ac-cepit lucrum dubia fide, seu dubitans, num- detur sibi liberaliter, an tanquam debitum, adhuc ad restitutionem tenetur, sicut qui dubia fide cepit possidere rem alienam; si verò bona fide accepit, & dubium superve- niat, tenetur inquirere ad dubium deponē- dum, quod si deponi non possit, probabile est, quod possit lucrum retineri; in hoc enim dubio melior est conditio possidentis.

547. Quæritur. An si Mutuatarius dedit aliquid supra sortem liberaliter, mutuans verò accepit mala fide, putās sibi dari ut de- bitum, tenetur ad restitutionem?

Resp. Probabilius esse, quod possit mu- tuans lucrum illud retinere quando depre- hendit animum liberalem mutuatarii, ra- tio est, quia ex parte dantis posita fuit suf- ficiens voluntas ad transferendum domi- nium, & ex parte accipientis potest poni acceptatio formalis, quando deprehendi- tur animus mutuatarii non retractatus, ita ut tunc dominium transferatur; præter- quam quod posita fuit acceptatio virtualis, tunc quando mutuans accepit lucrum, quia quamvis putaverit illud non dari gratis, voluit tamen sibi accipere omni meliori modo, quo poterat; neque obstat quod in- cap. consului de Usuris dicatur, Usurarium mentalem cogendum esse ad restituendum, ibi.

ibi enim est sermo, quando Mutuarius non dedit aliquid supra fortem merè liberaliter, & quandiu de hac voluntate dantis non constet.

548. Quæritur. An teneatur ad restitutionem mutuans, si aliquid supra fortem det ei mutuarius, liberaliter quidem, sed ductus timore, ne alioquin non sit accepturus iterum mutuum, quando indigebit, aut ne vocetur ingratus?

Resp. Teneri, ratio est, quia mutuarius quando solvit aliquid ultra fortem ductus timore, ne sibi novum beneficium subtrahatur, ferè semper putat, injustum metum gravem sibi incuti, & idcirco videtur, quod non det liberaliter, sed coactè ductus hoc injusto metu; unde obligatur mutuans ad restitutionem, quod si metus esset levis, nec daret causam donationi, mutuans posset rem sibi liberaliter donatam retinere.

549. Quæritur. An sicut est usura mutuare cum pacto, quod quis se obliget ex iustitia ad remutuandum in posterum, ad frequentandum tuum molendium, officinam, Gymnasium, & ita sit usuram mutuare cum pacto, quod quis ad hæc se obliget ex gratitudine?

Resp. Affirmativè, ratio est quia in utroque casu obligationi naturali gratitudinis superadditur nova obligatio onerosa, in primo casu civilis, quia ex iustitia, in secundo moralis, quia ex fidelitate, quando quidem obligari ad id etiam ex fidelitate gravat magis mutuarium, quàm gravet mutuantem ipsa mutuatio, & ideo ab his pactis utpotè illicitis abstinendum.

550. Quæritur, An sit licitum mutuare cum

cum

cum pacto, quod alter suæ obligationi satisfaciat, v. gr. audiat Missam die festo, impleat votum, satisfaciat debito liquido?

Resp. Esse licitum, quando hujusmodi pactum non superaddit novum onus, quod magis gravet mutuatarium, quam mutuatio gravet mutuantem, passim hæc nova promissio non censetur magis gravare quam antecedens obligatio. Ex hucusque dictis collige praxim, amice lector, & Deo gratias age, si in tui commodum aliquid utilitatis attulerit hic libellus, quem S. Romanæ Ecclesiæ infallibili iudicio subjectum esse volo.

Recensentur quinque Propositiones

CORNELII JANSENI

Episcopi Iprensis

Damnatæ ab INNOC. X.

*Per quandam Constitutionem suam,
quam Alexander VII. ac
Clemens XI.*

Postea confirmarunt, & innovarunt, tenor verò earum Propositionum est, prout sequitur.

1. **A**liqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus secundum præsentem, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

2. In